



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. V. Rei unius, obtutu uno, oculo uno, multiplex & distinct a apparitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)

est, obliquitas incidentiæ & refractio, &c. Sicut ergo huius oculi portio lunularis DEFH, obiecta directè sibi opposita non videt, sed in contraria parte sita, ita ratiocinandum est de qualibet pupillæ sanæ parte detecta. Quare concludendum est, omnem pupillæ portionem in eam obiecti partem ferri, quæ situ radiorum decussato allucet. Nam sicut vna oculi portio obiectum percipit, ita & alia quæuis utique illud apprehendere apta est. Neque te moueat experientia quam priore capite de cera attuli; licet enim ipsius species in oculum veniat radio non decussato eo quod in eadem parte oculi pars sentiens & obiectum versetur, radius tamen formaliter visorius in decussationem tendit: ipse enim si post factam visionem produceretur extra oculum, in contrariam plagam exiret; hinc res visa in locum alienum transfertur supra in inferum, sinistra in dextrum, & vicissim, &c. Decussatio ergo uti vitari nequit, ita negari non potest per dictas experientias.

EXPERIENTIA QVINTA.

VNO OCULO REM EANDEM SIMVL
bis, ter aut quater distinctissimè, absque vlllo
adhibito alio diaphano, videre licet.

CAPVT V.

Accipe orbiculum ex laminâ aliquâ tenui
excisum (metallica huic vsui ferè aptior
est) ABC, ex quo ansula ADC promi-
neat. Hunc transfige acu duobus foraminibus
vbi libet ad E & F, interuallo EF, minore, quàm
sit tua pupilla: quo facto, altero oculorū clau-
so, alterū ad foramina facta applica vicinissimè,
& per ambo simul turrium fastigia de die, aut
stellas luculentiores, de nocte, lunam, (solémue
vel auersas procul candelas, lampadas, (ad pas-
sus 10. 20. aut amplius) contemplant; videbis
omnia geminata, & quidem distinctiùs, quam
si ea absque vlllo obstaculo considerares,



Quod

Quod si triplicatam rem desideras, aut quadruplicatā, &c. excitabis triangulum æquilaterum GHI secundum dictum intervallum EF; quadratum item KLMN, similiterq; pentagonum, aut aliam quamcunque figuram polygonam, minorem tamen ambitu pupillæ.

Huius autem experientia, sanè mirabilis, aliquot illustres sunt casus; aut enim obiectum ab oculo satis remotum est, aut valdè vicinum. Satis remoti terminus minimus, duæ spithamæ plùs; minùs; maximus is, qui rem illam naturaliter, distinctè cõspicabilem reddit oculo sano.

Terminus valdè vicinus, summum ultra spithamam vix excurrit, ad oculum autem sine certâ lege propinquat.

CASVS TERMINI REMOTI.

CAPVT. VI.

RE igitur intra termini remoti limites collocata, quæ dextra apparet, dextram oculi partem occupat, quæ sinistra sinistra, quæ supera superam; adeoq; locus visus in eandem plagam recidit, in quam radius visorius rem in oculum deferens. Hoc duplici experimento manifestum fit; Alterum est, si dextrum foramen eultro vel alio corpore obiecto ad laminæ partem seu anteriorem seu posteriorem, obtegitur, tunc dextrum rei visæ simulacrû perit; si sinistrum foramen intercipitur, evanescet sinistrae stationis imago, &c.

Alterum experimentum in ipsum statim visum per se incurrit. Nam si per tria foramina, qualia sunt A, B, C, in punctum visile feraris, apparebit ipsum triplicatû imaginibus E, F, G, eo situ quem foramina A, B, C, præ se ferunt; punctum enim medium D, evanescens, in hæc tria F, G, E, dispescitur situ analogo, ut sicut foramen B supra, A & C ex latere; ita E locus rei visæ supra; F & G similiter laterales statuuntur, singuli suis foraminibus respondentes, locus E foraminij B; F, A; & G, C; qui certè situs

non